



Disputatio juridica de justitia et jure ad tit. 1 et 2 lib. 1 Instit. quarta

<https://hdl.handle.net/1874/235052>

DISPUTATIO JURIDICA
DE
JUSTITIA ET JURE.

Ad tit. 1. & 2. lib. 1. Instit.

Q U A R T A.

Q U A M

F. D. O. M.

S U B P R A E S I D I O

Viri Clarissimi,

D. PAULI VOET, Juris in Illustri
Academiâ Ultrajectinâ Professoris ordinarii.

Publicè ventilandam proponit,

ELIAS à WEERDENBURGH Woudenb. Ultraject.

Ad diem 26. Septemb. hora locoque solitis.



ULTRAJECTI,
Ex Officinâ Johannis à Waesberge,
M. DC. LV.

Clarissimis Consultissimisque

V I R I S,

D. PAULO VOET I.U.D. Ejusdem-
que Facultatis in illustri Academia Traje-
jectinâ Professori ordinario, Præsidi meo,
quam plurimum honorando.

D. IOHANNI vander HEYDEN,
I.U.D.

D. GERARDO BERCHEYCK I.U.D.
Curiaë Ultrajectinæ Provincialis Advō-
catis disertissimis.

Hanc Disputationem

D. D. D.

E. van WEERDENBURCH

Respond.

DISPUTATIO JURIDICA
DE
JUSTITIA ET JURE.

Ad tit. 1. & 2. lib. 1. Instit.

Q U A R T A.

T H E S I S I.



Explicatis Juris præceptis, sequuntur variaz juris, (ut est vel lex, vel facultas sese in legem diffundendi) divisiones. Generalissima mihi hæc est, quâ jus dicitur aliud esse Dei, aliud creaturarum. Jus Dei, non mihi hic est jus divinum, uti id passim ab interpretibus pro *Sacro* usurpatur. *Donell. 2. comment. 3. Besold. comment. ad l. 1. D. just. & jure.* Verum est tale jus secundum quod Deus semetipsum obligat, vel quasi, in ordine ad creaturarum, vel etiam sui ipsius directionem. Estque vel naturale vel positivum. Illud, quod citra divinæ naturæ abnegationem aliter atque aliter sese habere nequit. Cujus juris expressio est primum decalogi præceptum. *Non soles Deos alienos in conspectu meo.* Ejus quippe contrarium stante suæ naturæ perfectione Deus mandare non potest. Hoc quod cum sit consequenter ad divinam voluntatem, tale est, ut ejus contrarium citra perfectionis suæ naturæ præjudicium Deus statueret valeat. Quale est præceptum quartum, & sextum &c. decalogi. Posset enim si vellet Deus tam nonum vel decimum quemque diem cultui suo nobis designare, quam septimum. Posset etiam mandare, ut quis filium suum innocentem occidat. Jus creaturarum est, quando creatura proprie rationalis, ad aliam sic est ordinata, ut vel eam obliget, vel ab eâ obligetur.

tur. Estque vel Angelicum vel humanum. De illo hic mihi non est sermo: neque enim in unâ hic societate constituti Angeli & homines, neque cum iis nobis quid commercii est. Jus itaque humanum nobis est considerandum, quod inter hominem & hominem sibi locum vindicat. Sive hominem autorem agnoscat sive non, parum refert. Neque enim ab efficiente juris causa hæc desumpta est divisio, in jus Dei, & creaturarum.

II.

Ea propter ad intellectum majorem fontium juris, examinanda divisio illa juris generalis, quam habet A. mehus *Cas. confc. lib. 5. cap. 1.* ejusque sequaces. Partiuntur jus in genere in divinum & humanum. Illud appellant, quod Deum agnoscit autorem, hoc quod hominem. Verum minus accurate meo judicio. Cum enim nihil sit à legitima inter homines potestate conditum aut constitutum, quod non sit conformiter rectæ rationi, naturæ legi, Sacræ Scripturæ constitutum. Neque quidpiam inter homines justum, nisi quod vel ibi præscriptum vel non prohibitum seu permissum, vel per modum conclusionis, vel hypotheseos aut specialis determinationis inde derivatum. Cumque quod aliunde sic derivatum, id unde derivatum est, pro causa, principio, fundamento, thesi, agnoscat. Sequetur, omne jus humanum, si nomen juris mereatur (recta quippe ratio est anima legis) à jure naturali, quod auctori citato jus divinum appellatur, ortum desumere, adeoque origine inspecta divinum esse appellandum.

III.

Jus humanum, de quo hic ex professo agendum, dividitur in publicum & privatum. *J. ult. just. just. & jur.* Ubi sese offert illa quæstio. Utrum ne Tribonianus hic ipsum jus, an vero jurisprudentiam partiatur in duas partes, aut species? Posterius affirmant nonnulli, qui hujus studii, duas faciunt partes, duas positiones. *Donell. 2. comm. cap. 3. Corus. in tit. D. just. & jur. Besold. comment. ad l. 1. D. just. & jur. n. 11.* Alii hujus disciplinæ duo faciunt rerum genera, de quibus loquatur, publicum

blicum jus & privatum, quod de utroque agat Jurisconsultus. *Placentinus ad s. ult. inst. just. & jur.* quem sequitur *Bacchov. i. lid.* Malim ego jus accipere vel pro lege vel pro facultate, idque partiri in publicum & privatum, divisione desumpta à materia seu objecto circa quod lex versatur & cui potissimum prospicit. Jus etenim publicum definitur, quod ad statum rei, (id est Reipublice, uti legit *Revard. varior. §. c. 12.*) Romanæ spectat. Privatnm, quod ad singulorum pertinet utilitatem. *s. ult. just. just. & jur. VVurms. nuel. jur. contr. lib. 1. tit. 1. contr. 9.*

IV.

Sed quo referendum jus sacrum, quod in 12. Tabulis, tertiam juris speciem constituit. Respondeo illud annumerari debere juri publico, quod in sacris, in sacerdotibus, in magistratibus consistit. *l. 1. §. 2. D. just. & jur. Befold. VVurms. loc. cit.* Atque ita non obstat *l. 23. Cod. Sacros. Eccles. Oleman. Proem. ad Antinom. Giffan. ipse Giffan. disp. 1. n. 18.*

V.

An vero certa ratione publicum jus privato sit præpositum disquiritur? Mihi non videtur hæc quæstio tantæ momenti: cum censeam ordinis nullam habuisse rationem Tribonianum, verum tantum prout res incidebat Publicum jus Privato præposuisse. Id tamen facile concesserim, etiam rationes reddi posse, cur jus Publicum Privato sit prælatum. Etenim dignius, quale jus Publicum, indigniori, quale privatum præferendum. Et utilitati publicæ cedit privata. Præterquam quod dicendum veniat, jus Publicum ante privatum civile initium habuisse, uti id contra *Connan. 1. comm. 4. tuetur, Lyclam. membr. 7. E. slog. 41.*

VI.

An autem hodie, postquam lege Regia jus publicum in Principem translatum est, consequenter & publici privati-que juris differentia sit abolita, non inutiliter disquiritur? Respondendum est. Licet jus publicum, postquam status popularis in Monarchicum translatus est, multum fuerit immuta-

tus: cum ut publicum spectat statum, eo mutato, & ipsum mutari sit necessum. *VVeſembec. Parat. D. just. & jur. n. 14.* Non tamen ideo in totum lege Regia sublatum esse affirmari poterit. Neque enim ubi nullum jus Publicum superest, regnum erit, sed mera confusio, sed Tyrannis. Neque amplius ullum jus privatum supererit. Cum lege Regia tam hujus atque illius dispositio Principi sit concessa. Neque hoc aut illud, aut utrumque simul animo perdendi, sed custodiendi fideliter, in Principem sit translatum. §. 6. *justit. jur. nat. Gent. civil. l. 1. D. consti. Princip. Besold. loc. cit. Diss. Ravard. lib. 5. var. cap. 12.*

VII.

Quæstio etiam agitata satis est, Anne jus publicum ex præceptis naturalibus, gentium, civilibus, etiam sit collectum? Respondeo, id esse affirmandum. *Argum. l. 2. D. Inst. & Jur. Ult. D. legation. §. 2. inst. jur. nat. Gent. l. D. 5. just. & jur.* Accedit & ratio. Si enim quod in totum à naturali & Gentium jure recedit, juris nomen non mereatur. *l. 6. D. just. & jur.* neque jus publicum jus erit sed licentia, sed Tyrannis, nisi recta ratione, usuque gentium honesto sit introductum. Quid quod etiam in brutis animantibus vestigia permulta juris publici appareant, ut in apibus, regem sequentibus, eique fidelitatem exhibentibus; gruibus aciem instruentibus, atque volando ordinem litterarum observantibus, si pericula metuant, custodes exponentibus, qui pro omnium dormientium vigilet incolumitate, & quæ non alia de formicis huc ex historia naturalis scriptoribus transcribi possent. *Duaren. D. just. & jur. cap. 5. Giffan. disp. 1. instit. n. 20. 21. ad Thes. 8. Besold. VVurmser. loc. cit. Diss. Cujac. in not. h. VVeſembec. Par. D. just. & jur. Lyclam. pro parte. lib. 7. Membr. Eclog. 41. s. 1. Bacchov. ad §. 4. just. just. & jur. Bocer. class. 1. disp. 2. n. 5.*

VIII.

Sed quæ ratio est, quod nonnisi de jure privato se acturum, dicat? Forte quia à parte potiori sit desumenda denominatio. Neque enim institutiones tantum, sed & tota fere Justiniani legislatio in jure privato explicando consumitur. Ratio ratio-

rationis est, quod de rebus privatis lites sint frequentiores, quam de negotiis publicis. *Duaren. cap. 5. de just. & jur.* Præterquam, quod dicendum sit institutiones, quæ sunt legitimæ scientiæ prima elementa, juris publici perplexis disputationibus onerandas non esse, utpote tyronibus juris minus congruentes. *Arg. s. 2. instit. justit. & jur. Nec obst. tit. instit. de Publ. jud. satisfacit enim Imperator. s. ult. tituli ejusdem.*

I X.

Sequitur altera juris hominum divisio, in naturale, gentium & civile. Neque enim hanc sub priori, aut vice versa, comprehendere, licet ex invicem consent, atque dependant, asserere possum. Sed an jus, quod est ars boni & æqui, in naturale gentium & civile, tripartiat, disquiritur? Mihi id non videtur probabile. Non enim nisi una est juris scientia, definita *I. I. instit. just. & jur.* Eaque non naturalis, aut gentium est appellanda, sed acquisita, sed ab hominibus sapientibus constituta. Ejusque fontes, præcepta, sunt jus naturale, gentium, civile. Adeoque per jus intelligo, jussum, regulam, legem, vel naturæ, vel gentium, vel civitatis. *Besold. loc. cit. n. 18.*

X.

Ut vero plana sint omnia quæ spectant divisionem traditam, antequam singulas ejus partes explicem, opere pretium me facturum existimavi, si ubi plerique & Scholastici, & jurisconsulti meram tradunt confusionem, distinctionem tradidero inter jus naturale Dei & jus naturale hominum. Quæ nisi accurate servetur, quale jus absolute immutabile, quale absolute mutabile, decidi non poterit. Cavendum itaque ne quispiam cum Scholasticis, quos etiam sequitur *Ames. lib. 4. Cas. Conf. 5. cap. 1.* confundat jus naturale, cum jure divino. Neque enim omne jus divinum est jus naturale, cum etiam detur aliquod jus divinum positivum. Nec omne jus naturale est divinum; cum quoddam jus naturale sit hominum. Neque ergo jus naturale hominum, est jus naturale divinum; licet forte in quibusdam cum eo conveniat. Distinctio itaque inter utrumque hoc est, jus naturale Dei seu divinum, est prorsus im-

muta.

942493

mutabile, neque ullam patitur relaxationem aut dispensationem, nullo etiam in casu. Eoque pertinent illa divina effata & præcepta; Deum gloriam suam alteri non dare; Deum non posse remittere peccata citra satisfactionem: Deum non posse creaturam rationalem absolvere à dependentiâ Physicâ, aut morali, id est à naturali cultu, sibi exhibendô. Jus vero naturale hominum, quod simpliciter in jure appellatur jus naturale, quoad nonnulla præcepta, est juris divini positivi, liberrimi; adeoque & à Deo, qui supra naturam, supra legem immutari potest, sic ut ejus oppositum, citra contradictionem vellet queat. Quo refero, legem ceremonialem ac forenses Moisaicam, quâ talem, magnamque legis moralis partem. Cujus legis moralis licet nulla pars sit juris positivi humani, adeoque ab hominibus licet supremâ potestate prædictis mutari nequit quam possit, magna tamen pars est juris divini positivi. Ita ex. gr. de monogamiâ, de gradibus nuptiarum prohibitis, de potestate magistratus, de dominiorum distinctionibus, de homicidio, quæ sunt apud nos juris naturalis immutabilis, non sic statuit Deus ex juris necessitate, sed pro liberrimâ voluntate, sic ut quodcumque id aliter ei visum fuerit, mutare possit. Potest & hæc differentia servari. Quod jus naturale hominum eos obliget, quia est lex manifestata, inscripta omnium cordibus, ut sic reddantur inexcusabiles. Non vero omne jus divinum hominibus est manifestatum, nisi in quantum in leges & præcepta sese diffundit, quo nomine non antequam sit hominibus manifestatum, licet à parte Dei tale jus sit, eos obligabit ad obedientiam. Paria quippe sunt, non esse & non apparere. Neque leges quempiam obligant, nisi in notitiam earum venire possit. *l. 1. §. 4. D. Origin. jur.* sunt enim humanorum actuum regulæ, quæ non dirigunt nisi applicatæ. Censentur vero applicatæ si iis sufficienter propositæ, quibus feruntur, cum ad incognitum nemo teneatur, *l. 9. Cod. legib. Zoef. D. eod. num. 10.*

COROLLARIA RESPONDENTIS.

- I. *An Princeps legibus sit solutus?* Neg.
- II. *An venditor precise teneatur rem venditam tradere?* Aff.
- III. *An Communis Error faciat Ius?* Neg.